Antonius
Adalb. Joach. Tractatus e summa
virtutum, eruditionis ac meritorum.

TRACTATUS
è Summa
Virtutum, eruditionis, ac meritorum,
PERILLUSTRIS CLARISSIMI & ADMODUM REVERENDI DOMINI
M. ANTONII KRZANOWSKI,
Sacræ Theologiæ LICENTIATI & PROFESSORIS, Ecclesiæ Collegiatæ S. FLORIANI ad Cracoviam PRÆPOSITI, Contubernii Philosophorum PROVISORIS.
DESUMPTUS.
& dum ad Ædes Ecclesiæ Collegiatæ Sanctæ ANNÆ,
à
PERILLUSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO.
M. ADALBERTO GRZYMAŁA,
Sacræ Theologiæ DOCTORE, Ejusdemq; Facultatis DECANO, Ecclesiarum Cathedralis Cracoviensis CANONICO, Collegiatæ SS. OO. Crac. PRÆPOSITO, Contubernii Geloniani PROVISORE.
in frequentissimo Magnorum Hospitum Congressu
ritu Solenni renuntiaretur,
Sacræ Theologiæ DOCTOR;
in gratiam æviternæ memoriæ
PER
M. ADALBERTUM JOACHIMUM FOLTANSKI
Philosophiæ DOCTOREM, Ejusdemq; Regium ac Tylicianum Eloquentiæ PROFESSOREM, COLLEGAM MAJOREM, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ Zielopolscianum CANONICUM,
Luci publicæ
EXPOSITUS.
Anno quo Verbum Caro factum est 1759. Die 26ta Mensis Novembris.

CRACOVIÆ Typis Collegii Majoris.

TRACTATUS

Gravis est antiquorum Sententia,
quòd juncta eruditioni virtus, virtuti eruditio,
nullo plausu petit clarescere vulgi. (*a*)
Non dilatant more psittacorum sua philacteria,
qui verè os populi meruerunt.
Extra annulum gemma, candore notabilis ipso.
Non quærit à Lydio lapide æstimationem,
metallorum Princeps, & in rupibus aurum.
Est fons luminis Sol
sine accensa Diogenis face.
Opponit etiam in dictis Veterum moderna ætas,
pulchrum est digitô monstrari, & dicier hic est. (*b*)
Trahitur è fundo maris ad coronam unio.
Tubîs tibiîsq; ipsa delectantur Numina.
Quis Imperator? de prostrato hoste neglexit Laureas.
Non fastidit post triumphum plausus à populo Victor.
Repetit spolia, veteranus post vulnera miles.
Laudandos esse, qui laudanda gessere,
omnî ævô conclusum.
Utramq; in præsenti Tractatu tueor Sententiam.
Nil est indiga laudis virtus & eruditio,
cùm sint divitiis animosæ suis.
De intrinseca earum ratione, esse sibi pretium,
ab auræ popularis tinnitu, non petunt argumenta.
Sed cur pauci virtutem & eruditionem amplectantur?
à se satis commendatas dotatasq;.
Quærunt à nobis plurimi etiam illam Dotem,
quam à tot sæculis, virtuti eruditioniq; reliquerunt,
nobiliori à me notandi lapillô Viri,
quorum erat Caput aurum optimum.
Respondendum hinc directè;
ubi æternitatis circulo insertæ, è ludo Literario gemmæ?

(*a*) *Claud: in Laud: Still:* (*b*) *Idem de Cons: Manil:*

ubi

ubi magnô laboris empti pretiô, Doctorum Annuli;
ubi sanguineo conspersæ sudore eruditorum Laureæ? 682
ubi ex Ærario publico Sapientiæ monilia?
ubi deniquè inexhausti scientiarum thesauri?
Qui quærunt in vitæ sociam prodromo labore,
sine fuco & cerussa cum eruditione virtutem,
nôrunt illas desponsatas, ab antiquo fuisse
Viris præcipuè Literatis.
Nec dubitant multa eis tradita Talenta,
quibus non juxta fraudem dolumquè,
sed secundùm propriam virtutem negotiari licet.
In eorum bona si succedere non possunt,
ex transfusa Meritorum summa censum repetunt.
Quis ille? & unde sit census?
Est ab ingeniis calamisq; laus quovis jure debita.
Inis hodie cum Theologico Honore
solenni ritu Sponsalia sacra,
PERILLUSTRIS neo DOCTOR.
Movebunt non unam Quæstionem sæcula,
inquirent in seris Nepotibus amatores Sapientiæ,
de Tua Virtute, Meritis ac eruditione.
Ergo ex Summa
Virtutum, Meritorum ac eruditionis Tuæ,
in gratiam perennis memoriæ,
Luci publicæ expono
TRACTATUM.
Multîs ille constare debuisset Titulîs.
Quæcunq; tamen ætas primo à capite leget,
magni Tui Nominis gloriam Honoremq;
unde similia sint desumenda documenta;
& ipsa resciet, & ventura sæcula informabit.
Quicunque vitæ Tuæ rationes requiret;
ex illis sibi addere plurimum poterit;

quia ultra calculum, & hanc paginam fuere.
Si de meritis quæsierit?
Hæc fastos & volumina poscunt.
Formam ac pulchritudinem virtutis spectabit,
si vel ipsa prima lineamenta Tui inspiciet.
Satis prodiga in Te fuit natura,
dum vultûs, oris, corporisq; totius,
& amabilem quandam dignitatem tribuit,
& venerandum animi habitum est largita.
Prodidit se non parca Cæli liberalitas,
in vivida Tui mente acerrimoq; ingenio.
Longè excellentior naturâ virtus,
non diu distulit suam explicare magnificentiam,
in Tuarum Dotum sublimi theatro.
Voluit brevi tempore ostendere omnibus,
quid & quantum valeret? etiam in tenello subjecto,
Fecisti singula, ad quæ Te innata disposuit bonitas.
Veneranda Superiorum servâsti præcepta,
Virorum non puerorum imitatus es exempla,
egregiam natamq; ad magna indolem,
translatis ab adolescentia,
ad senium figurîs,
in primis Literarum elementis
adhuc tyro exornâsti.
Quid mirum! quòd juxta pulchram Antithesim,
extra paradoxum posuisti;
in Aprili, posse esse Autumnum,
in parte contineri totum, & partem in toto.
Non ne in exordio vitæ Tuæ specimina indiciaq; apparebant,
PERILLUSTRIS neo DOCTOR,
de quibus, in ulterioribus Partibus eras tractaturus.
Veniens ad Musas Academicas,

futuro-

futurorum de Te, non vana dediſti auguria.
Multiplicia virtutum ſemina,
copioſam in Arena Literaria promittebant meſſem.
Egregiæ Indolis flos pulcherrimus,
maturos in Academi Luco portendebat fructus.

Etenim

dignoſcuntur in turione Cedri,
& quid ſerus vehat veſper?
non ſolùm in heſpero, ſed & in aurora prævidemus.

Non eſt eluſa ſpes de Te in herba,
PERILLUSTRIS neo-DOCTOR.
A primo in Jagellonicum Campum ingreſſu,
jam adimplere cepiſti,
quæ publicæ, quæ privatæ expectationis fuere vota.
Noveras Campum hunc à tot ſæculis,
magnorum quovis in Subſellio Virorum,
laboribûs excultum,
ſudoribûs conſperſum;
& ideo,
de fæcunda omnis eruditionis non dubitâſti fruge.
Habent hoc commune ſolum & ingenium,
quod non unius diei opus eſt culturâ,
antequam ſementem injicias, meſſemq; colligas.
Te in Arena Literaria otioſum,
non Sol oriens, non occidens vidit.
Ne inutili mens ſterileſceret otiô
illam excolebas die nocteq;.
Ex continuo ſtudiorum curſu,
incredibilem ſcientiarum contraxiſti ſitim;
ad quam extingvendam non primîs guſtâſti labrîs.
Aganippeos fontes, dulciorisq; eloquii latices.

Euripus Philosophicus nec sufficerat,
cùm Te totum Theologico Mari immersisti.
Exinde liquet,
vastissimum, avidissimumq; esse Tui animum,
non potuit ùno scientiarum repleri fonte,
necesse fuit, Sapientiæ Oceanum totum.
Et ideo
per omnes in scientiis gradus, gyganteîs procedebas passibûs,
ut quantocyus in supremo eruditionis stetisses culmine.
Præoccupabas annos properatione discendi,
ne morarentur cogitationes suo ævô majores.
Utinam in æternam non claudisset sua lumina noctem
Ille Ingeniorum Ocellus
In Corpore Reipublicæ Literariæ Pupilla,
Inter Lumina Oratoria Sol.
PERILLUSTRIS olim & CLARISSIMUS
M. ÆGIDIVS WADOWSKI,
COLLEGA MAJOR Vocatus.
Vidisset jam nunc in meridie,
quæ in aurora & præviderat & prædixerat.
Inest enim aliquid Divini
perspicaci ingeniô, prudentiâ, & authoritate præditis Viris,
ut fatorum futurorumq; cognoscant secreta,
loquantur extra Delphos ac Tripodem oracula.
Vultis ne scire? quæ illa fuere de hoc Viro auguria!
Inferebat non vano omine
ex illis, qui erumpebant egregiæ indolis igniculis,
Orbis Literarii,
magnum Luminare futurum.
Cum verò perspexisset & intimiùs penetrâsset,
capacissimum cujusvis virtutis animum,

in ma-

in moribus gravitatem,
in rebus agendis prudentiam;
velut quodam afflatus Numine prædixit,
Illum magnæ expectationis Virum.
Et ideo
Juxta communem eruditorum ſenſum,
Hic artis Oratoriæ facilè Princeps,
efficaciſſimîs ex intimo corde verbîs,
propenſiſſimæ voluntatis expreſſione,
effecit ad Decus Jagellonicæ Palladis,
ut ſatis glorioſum licetſi ſummè laborioſum,
Academicum non ægrè ſuſcepiſſet Statum,
Nempè
perſpectum ex illius Dotibus habuit,
quòd ad propagandam Ejus ſuccedet gloriam,
poſt Atlantem Hercules,
poſt Demoſthenem Tullius.
Et factum eſt Cælo ſic omnia ordinante,
quid quid erat ex præſuppoſitis de Illo.
Submiſit Caput Philoſophicis Laureis,
et ſimul lauream linguæ aſſecutus.
Non refugiebant ab Illo, ùt olim ab Apolline,
ſed ultro ſe ſe ingerebant
ab animi Illius vigore alimentum habituræ.
Aſcendit Doctoralem Cathedram,
an potius Philoſophici Capitolium Honoris,
utpote jam non una Lauru redimitus.
Deſcendit in aciem Sicinius Dentatus trigeſies ſepties,
quadraginta quinq; tulit vulnera,
antequam recepiſſet à Senatu Populoq; Romano,
Coronas aureas octo, murales tres, Civicas tredecim.

Nec Tibi
PERILLUSTRIS neo DOCTOR,
docta gratis venit corymbus.
Præmisisti non unum certamen,
in Philosophicà arena,
ut palmam in cidarim eripuisses hosti.
Superâsti difficultatum scopulos,
quia in Tuas partes omnes scientiás pertraxisti,
Nulla Ars Liberalis non erat Tibi ignota,
quia uniuscujusq; cognovisti naturam,
omnes Tibi fuere domesticæ, & nulla peregrina,
Maximè tamen adhæsit cordi Tuo
Divina Mathesis,
cùm & Tu illi invisceratus fuisti.
Rescivisti plurima Cæli arcana,
ipsum hujus Divæ ingressus Conclave;
Errare non potuisti Manuductore peritissimo,
(Cui & ad præsens Doctoralem offers Lauream,)
PERILLUSTRI CLARISSIMO & A. R. DOMINO.
M. STANISLAO
FILIPOWICZ,
Sacræ Theologiæ DOCTORE & PROFESSORE,
Universitatis SENIORE PATRE,
Huic meritis annisq; grandævo Patri,
Orbis Academici infracto Atlanti,
Boni Communis Defensori strenuissimo,
utí vix parem sæcula dabunt,
ita in integerrima incolumitate Ejus anni,
non ad unum protendantur sæculum.
Ab hoc magnæ eruditionis Pædagogo
Intellexisti pernicitatem siderum,
Planetarum cursus & recursus,

varias

varias Cælestium Sphærarum revolutiones,
quæ fulminum & tempestatum causæ? cognovisti.
Extra dubium est,
quòd possis dare rationem gubernandi,
inferioris, ad normam superioris mundi.
Unde
descendisti ad terræ globum,
& existentis sub concavo Lunæ Orbis magnitudinem,
Regnorum & Regionum distantiam,
Urbium situm, & locorum varietatem,
juxta numerum & mensuram demonstrâsti.
Geometra Geographus,
aliîsq; Mathematicîs imbutus scientiîs,
quid quid terra, Pontus, & àër continent,
ad intima penetrâsti penetralia.
In his observationibus,
displicuerunt Tibi præcipuè erratici Planetæ.
Hinc
placuit in Sphæra Academica Solem esse,
qui nec cursum nec lucem variat.
Vidit in Te Major Polonia
idem sapientiæ ac eruditionis lumen,
quod & Minor observavit.
In Academia Posnaniensi
Pöëseos & Rhetorices sexenniò Professor.
toto annorum tractu nunquam fuisti retrogradus.
Salebrosâ viâ ascendisti Parnassum
& unus Apollo, plures fecisti Vates,
Tullianum non sine sudore emensus Campum,
quos stipites invenisti, reddidisti Mercurios.
Penes Te Lubransciana Pinus,
extra Dodonam fatidica facta.
Contubernii Szołdrsciani Præfectus,

quòd

quòd præesse & prodesse optimè noveras;
Sunt testes nobiliores Ascanii,
quos Puplicæ expectationi reddidisti Achilles.
Aliàs
ex commissa Institutioni Tuæ Juventute
Magnos in Toga & Sago Viros,
Majori reliquisti Poloniæ.
Præter Scholasticam Cathedram loquerentur
& celeberrimæ in illa Majoricæ Metropoli Exedræ,
dicerent etiam ex communi Tui æstimatione,
(me ipso teste)
Oratorii, pro Divorum Laudibus Suggestus,
qua Styli elegantioris Majestate,
oris facundi affabilitate,
verborum & rationum gravitate,
Sacer quibusvis ex Rostris perorabas Orator.
Sed faciunt fidem publicam,
cultissimi Tui ingenii partus,
è prælo
luci publicæ traditi.
Iterum prodit in hanc paginam,
satis ad Gentis Togatæ celebratus gloriam
Aurei Velleris EQUES
DD. J O A N N E S,
in JOANNIS DABROVII Melitensis Equitis
Illustrissimam introductus Domum.
Exornâsti Eum inæstimabilibûs verborum gemmîs,
extra dubium,
quòd Tuas adversùs fata tuebitur Partes.
Repercussus à Typographicis Columnis,
ad numerum Oratorium accomodatus,
Sonus Symphoniæ Cælestis

DD. THOMAS de Aquino
ROZDRAZEVIANÆ de Comitibus
dedicatus Familiæ;
quoties ad mille ſolatia repetitur,
toties vocaliorem Tui Nominis continuat famam.
Prope Divinum Tui demonſtrat ingeniū,
Philippica, Pneumatis Poli partu procreata
DD. PHILIPPUS NERIUS,
dicata verò
Perilluſtri olim LUCÆ DAJEWSKI,
Conſiſtorii Poſnanienſis NOTARIO;
An potius Actis Publicis ingroſſata,
quòd alter Cicero ANTONIUS
à ſe ſcriptam dictamq; Philippicam,
erga DD. NERIUM habuerit.
Hinc
non ne alter VADOVIUS es!
juxta prudentiſſima ejus auguria,
PERILLUSTRIS neo DOCTOR,
Ille ex Cathedra appellavit THOMAM
Tomus, tollendis tenebris traditus,
Tu pari methodo PHILIPPUM,
Philippica, Pneumatis Poli partu procreata,
in utroquè Panegyrico Opere,
idem cum incredibili labore artificium,
utrumq; ingeniorum ſtupor!
Debuiſti alter eſſe Mercurius,
cùm ad deprædicandas DD. Eliæ Laudes,
in Carmeli Cælum
primò ex Academi Luco invitatus fuiſti;

69/ sed Te Personatam ostendisti Intelligentiam,
demonstrando DD. Patriarcham primum Mobile esse.
Non poterat locus esse in terris
Huic Paradisi Incolæ,
Quem ut locâsses inter trina Carmeli sidera;
pro Curru igneo, Oratoriâ usus es pennâ.
Quæ pro Domo Cælitûm aurô Cedroq; notanda dixisti,
plura sunt Cælo reservata,
non concredita prælo,
præstolanti paginæ denegata.
Nec simul defuisti Plinius
quoties adfuere Trajani,
suum Maronem habuerunt Mecænates.
Illustrissimum ac Excellentissimum Dominum,
De Małoßyn.
CASIMIRVM RACZYNSKI
PALATINUM CALISSIENSEM
adeo styli sublimitate extulisti,
ut Ejus Honori videreris addere majestatem.
Ex obligatione Orbis Poloni,
quam omni Titulo debere
RACZYNSCIANÆ Domui deduxisti,
ipse omnes omnium complexus es gratias
Gemmam Virorum,
aut Motricem Intelligentiam,
Illustrissimum & Reverendissimum Dominum
BALTHASARUM WILXYCKI,
SUFFRAGANEUM POSNANIENSEM,
ut ostendisses Orbi Polono,
Spharam Infulati Honoris,
Arte Oratoria & Panegyrio Opere extruxisti.
In Mathematicis Lucubrationibus,

non

non ſolùm duodecim Zodiaci numerabantur ſigna,
ſed & lucidiſſima Sarmatici Poli adorabantur Nomina;
ex his influxus Cælorum,
ex illis æſtimatio Tui noſcebatur.
Teſtor publicam famam!
cum quanto plauſu Tui & Nominis Academici,
congregatis nuper Primis Majoris Poloniæ Proceribus,
ad revidendum commune Ærarium
Palatinatûs Poſnanienſîs & Caliſſienſîs,
Aſtrologicas dicâſti Obſervationes.
Non potuit ſine incremento gloriæ eſſe,
tantus primæ magnitudinis Siderum Concurſus;
Ipſa Cæleſtis Tui Urania
Laudes Magnorum decantabat Virorum.
Æſtimatas ubiq; Lucubrationes Mathematicas,
illa diſtinguebant è Cælo Polono Nomina,
à quibus plus deſumebas ſplendoris,
quàm ſidera & Luna à Sole.
Quid ſupponendum,
dum annuas iterum Revolutiones ſacrâſti,
Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo
CAPITULO POSNANIENSI,
quia ab Inſulatis Inſulandisq; Capitibus,
voluiſti ſimul grave habere de Te judicium.
Huic Inſigni ac probatæ exiſtimationi,
addidit majorem authoritatem,
Illuſtriſſimus olim Excellentiſſimus ac Reverendiſſimus D.
de Czarkowice
JOANNES TARŁO,
EPISCOPUS POSNANIENSIS.
Rigidus Hic Ingeniorum Ponderator,
tuam non ita æſtimâſſet eruditionem,
ſi in illa verum pondus & valorem non inveniſſet.

Inter Præcipuos carus Illi, & laudatissimus fuisti;
693 quia hoc & Candore Academico,
& solida eruditione meruisti.
Ejusdem sensus de Te fuisse,
& Totum ILLUSTRISSIMUM CAPITULUM,
ille non nisi negaverit,
cui ignotum fuisset,
qua propensione, corde, & æstimatione,
& amabant Te, & appretiabant sibi,
KAZNOVII, MADALENSCII, &c:
Ad Minus è Majori Polonia vocatus Collegium,
(quod est Seminarium)
(magnorũ quovis in subsellio Academico Virorum)
Loco Huic
majoribûs semper respondebas meritîs,
laboris unius finis, gradus erat alterius.
Negotium sanè Deorum consiliô dignum
quomodo teneriores debeant educari Scipiadæ,
ut non uni Pæno Annibali, in pænam abeant.
Hoc perfecisti Magne Hiron,
in CELSISSIMIS PRINCIPIBUS
Illustrissimis ac Excellentissimis Dominis
STANISLAO & JOSEPHO
LVBOMIRSCIIS,
PALATINIDIS SENDOMIRIENSIBUS.
Quantùm Hi nobilissimi Ascanii
ex privata Tui Institutione profecerint?
videantur Eorum in Sago & Toga gloriosa gesta.
Sed non hìc meta Tuorum Meritorum;
Cessit Tibi non postrema portio magnarum curarum,
in oblata UNIVERSITATIS Syndicatura.
Multa hìc tulisti, sudâsti & alsisti,
quia

quia Bonum Commune, & utilitatem publicam
ſemper privato commodo prætuliſti,
Ipsîs innutritus laboribûs,
Philoſophicum petiiſti Curſum;
Vladislavianum eſſe noveras,
placuit Regia ad Honorem via,
ſcilicet
publici in Regni Schola labores.
Numeroſâ Auditorum cingebaris coronâ,
dum intricata reddebas plana,
facilitabas difficilia,
reſolvebas perplexa,
ſvavis eloquiô, explicatu facilis.
Mirabatur Peripathus
ſubtilitatem cum claritate, quod mirum,
claritatem cum ſoliditate, quod rarum
verum ſine tædio docendi amorem, quod Tuum.
Continuîs ſollicitudinibûs
nocturnas diurnasq; diſtinguebas horas,
ne tibi vel aliis aliquam perdidiſſe diem videreris.
Tuis lacertis Decanalis imponitur Purpura,
ſed & hæc ne ad verecundiam rubeat,
ſanguineum ſudorem in rubiconem requirit.
Et feciſti,
quid quid ad Decus requirebatur
Philoſophici Honoris,
dum ſemper tenuiſti primatum,
in primis laboribus Princeps.
Præeuntibûs tandem Meritîs,
ingreſſus es DOMUM MAJOREM,
ſed Te adhuc majores exceperunt curæ.
Etenim huc ſe ingerunt velut agmine facto,
præter domeſticos, publici labores,
ſit ille Hercules, non valebit contra plures.

695

Pariter Tu

PERILLUSTRIS neo DOCTOR,
non ita Te totum,
solis Scholasticis sacraveras Cathedris,
ut etiam potiorem vitæ & laborum Tuorum partem,
aliis pro Bono Communi non dedisses Functionibus.
In Ecclesia Cathedræ Cracoviensis,
pluribûs annîs Garvascianus Concionator.
ita contra præsentis sæculi Boleslaos,
re & nomine fulminabas ANTONIUS,
ut simul protulisses verborum gemmas,
ad trinas Vavelli Coronas.
Et aliæ DEO Divisq; sacratæ Basilicæ,
Te sibi ex Exedris eripiebant Oratorem;
in Quo Apostolicus Zelus,
morum & vitæ integritas,
sermonis affabilitas,
Styli & dictionis Majestas,
& movebat, & delectabat.
Dicito hìc,
Catatumbîs Sanctorum dives Cracovia?
qua in Sacra Æde hunc non audîsti Tullium,
quoties hic pro Domo & causa Cælituum
religiosa coram populo faciebat verba,
toties Evangelicæ Veritatis fuerat Assertor,
artis plutonicæ expugnator.
Narrarent distinctè Distinctorum Concursus,
ni suffecisset vel una de Te relatio,
plus quam de Tripode, quia à Sacrorum Antistite,
Eminentissimo CARDINALI ac PRINCIPE Celsissimó,
Illustrissimo & Reverendissimo Domino
EPISCOPO CRACOVIENSI
JOAN-

JOANNI ALEXANDRO

in Lipe

L I P S K I,

In circulo Cracoviensi in Ædibus B.V. MARIÆ
quoties Sacer perorabas Orator,
toties loquebaris gemmas annulo æternitatis inserendas.
Quantum æstimaverat Sacras Tui Lucubrationes,
etiam exinde liquit,
dum incidente quintò sæculò Canonizationis,
Divinissimi STANISLAI Episcopi & Martyris,
ex Rostris Ecclesiæ suæ Cathedralis,
publicè laudandi Hunc DD. Patronum,
Nomine proprio (ut optaverat) contulit Tibi Provinciam.
Hanc centennam annorum Olympiadem,
ab inscriptione Sanctorum numero,
Divinissimi HYACINTHI Confessoris,
in Ædibus Ordinis Prædicatorum deprædicâsti pariter;
nempe
ad illud, quod est sæculorum opus
Ingeniorum desiderabatur Phænix.
In die anniversaria Coronationis,
SERENISSIMI ac POTENTISSIMI

A V G V S T I III.

Poloniarum REGIS Clementissimi,
ab eodem Eminentissimo invitatus CARDINALI
EPISCOPO tunc CRACOVIENSI,
cum summo Tui Nominis & Academici plausu,
quot Præsules & Senatores, tot Auditores habendo,
dum peroraveras ex Cathedra,
obligâsti Tibi ipsas Majestates.
Meruisti hoc à Throno referre edictum,
quòd fueris Vir omnibûs numeris absolutus,

E (ad quæ

(ad quæ extra Academum trahebaris)
quorumvis Munerum capax.
692 Quæ existimatio de Te fuerat in Peripatho,
hanc effecutus es & in Pantheo;
utramq; ad immortalem Tui Nominis famam possides.
Es pars laboris eruditi Religiosarum Familiarum,
sunt & Sacerrimi Ordines Tui.
Vocatus ad Scholasticum certamen nunquam non processisti,
Ipse sæpius adversariorum telis, argumentorum tela opposuisti
Hoc probant de Te! dicatæ Conclusiones
LVBOMIRSCIORVM
CELSISSIMÆ DOMUI,
quòd sis & certare par & respondere paratus.
Tylicianus; sex annis Eloquentiæ Professor,
nec ungve transverso recesisti à semita,
quam munificentissimi FUNDATORIS trivit Solea.
Est Tuum Bibliotheca Caput,
facile erat de omni re dicere.
Prodit Te ipsa loquela
quòd sis Hortensius, vel Gallicanus Hercules ille,
dum rosas & lilia loqueris.
Est delicatior mens Tua,
selectiora quærit, vulgaria spernit.
Testantur ipsa ingenii Tui monumenta
domi forisquè relicta,
Te esse ex utroq; Cæsarem,
In generalibus Regni Comitiis,
eras Cyllenius alter,
dum Magna Nomina acsi Numina pertraxisti,
ad vota Tui & desideria.
Quid inferendum?
ex Definitiva à Te Sententia, typis expressa,
circa Doctoratum pro utroq; Jure
Perillu-

Perillustris olim & Reverendissimi

M. ADALBERTI MICINSKI, 698

Cracoviensis CANONICI, Collegii Juridici Senioris PATRIS,

Viri de Literis & Literatis bene meriti:

concludendum est;

contra perennem eruditionis Tuæ gloriam,

quæ ex dictis scriptisq; colligitur,

nulla esse fatorum remedia.

Finxit sibi Antiquitas,

bifrontes Janos, Briareos, & centoculos Argos,

Tu unus omnibus, omnia eras.

Ecclesiarum Collegiatarum

S. ANNÆ & S. FLORIANI ad Crac: PROCURATOR,

retentos vindicâsti Census,

noluisti reliquisse, tantas sine Dote Sponsas,

Nec mirum!

pridem Tu decorem Domûs DEI dilexisti,

dum in *Grabie* & *Smarżowice* Ecclesias Parochiales,

incuriâ temporis collapsas erexisti,

pretiosâ suppellectili dotâsti

picturis & imaginibûs exornâsti.

In plures divisos,

Tu collectos in Te tenes labores,

ex laboribus (juxta rectam consequentiam) Merita.

Totius UNIVERSITATIS egisti PROCURATOREM;

quomodo?

probant defensa Academiæ Jura,

quibus, quæ desiderabantur providisti ad Esse.

Maximas refert grates

Minus Collegium,

Tuâ curâ & sollicitudine ab extra reparatum,

Contubernii Philosophorum PROVISOR,

(quod in capite hujus Tractatus scribendum erat,)

ad succurrendum hujus Lycæi ultimæ ruinæ,

quæ erogâſti & feciſti,
verſantur in omnium oculis documenta;
Beatiſſimæ VIRGINIS & DD. Tutelaris Effigies,
adornata coloribûs, ipſiq; fronti inſculpta,
699 quoties cultu debito adorabitur,
toties monſtrabit Te fuiſſe gratioſum.
Eruditiſſimos illos cenſuiſti, qui plurimos erudiunt,
cadavera non homines, qui ipſis ſolis talenta fodiunt.
Proinde
Ex Theologia Cathedra multos erudiviſti ad ſcientiam,
ad cognitionem & amorem DEI omnes.
Quæ eſt fructu gravida arbor ſe inclinat,
quasiquè ad carpendum quod libuerit ex ſe invitat.
Paralion eras Solis Aquinatici,
non uni angulo lucebas.
Doctam non opus erat adire Corynthum,
dum in Academo ſacra loquebaris oracula.
De Divinis ita referebas arcanis,
acſi in via Comprehenſor fuiſſes.
Ad Sacram Theologiam,
maturo paſſu, quia per omnes Philoſophicas iviſti Cathedras,
Theologicos conſumaveras Curſus,
verè, omni Titulô conſummatus Theologus,
Divinæ Sapientiæ ita agebas agisq; Profeſſorem,
ut Auditores Tuos deduceres,
per viſibilia, ad inviſibilem Conditorem.
Quæ ſpeculativè docebas docesq;
in Te Ipſo oſtendebas oſtendisq; practiè?
Jungis laudabili nexu,
virtutem eruditioni, eruditionem virtuti
utpote: omnis perfectionis compendium.
Es ingenii elevati, ſed non elati,
more Solis,
qui in ſuperiori auge, minores ſpargit umbras,
Conci-

Conciliâsti Tibi cor
Perillustris olim & Reverendissimi Domini, 100.
M. MARTINI
WALESZYNSKI,
Sacræ Theologiæ DOCTORIS,
Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis CANONICI,
Collegii Majoris & Uuniversitatis Senioris PATRIS.
Consecutus es animi propensionem,
CELSISSIMI PRINCIPIS,
Illustrissimi Excellentissimi ac Reverendissimi D.
CAIETANI SOŁTYK,
EPISCOPI Cracoviensis, DUCIS Severiæ;
Quem in ingressu ad sui Cathedram
in porticu, insignis Ecclesiæ Collegiatæ Sancti FLORIANI,
dum salutâsti publicè,
Te publici exceperunt plausus;
cùm Ipse Principalis Primoresq; alii,
Hunc quem dixisti sermonem,
concreditum paginæ, sibi præsentem voluerunt
Sunt eruntq; ipsi parietes testes,
quæ, & quanta, pro commodo & decore
impensîs Tuìs huic Præposituræ fecisti.
Et ideo,
Non unâ eruditionis ac meritorum semitâ,
ad capessendum Theologicum venisti honorem
PERILLUSTRIS neo DOCTOR,
ante lauream, dignus laureis.
Recipis Lauream Theologicam
è manibus
Perillustris & Reverendissimi Domini

F M. AD-

701. M. ADALBERTI
GRZYMAŁA,
Cracoviensis CANONICI,
Sacræ Theologiæ DOCTORIS, ac ejusdem DECANI
Est Hic Vir quavis illatione de se major
dum Tibi plures gratiæ suæ præmissas posuit,
non ad unam erga se conclusionem obligavit.
Habuit quod viderit sol publicus,
in Te Sacræ Theologiæ PRÆSENTATO,
adsunt plura in DOCTORE, luci publicæ monstranda.
Applaudunt Ordines Academici
uti supremâ Laureâ redimito Patri.
Reddunt vota sua
Religiosissimi Sacerrimarum Familiarum Patres,
jam coronato in Exedris, Cathedrisq; Victori.
Redundat in devinctos Nomini Honoriq; Clientes solatium
dum jam evenerat, quod voverunt.
Homeri Ilias,
Pellæi Juvenis excitabat indolem,
ad simulacrum Gadibûs Alexandri ingemuit Cæsar.
Habebit & posterior ætas
Summam virtutum meritorum ac eruditionis Tuæ
ex cujus qualibet Parte, non unus potest esse.

TRACTATUS.

37